

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Promptuarium allegoriarum sacrarum praincipia fidei
christianae capita illustrantium: indice quadruplici
instructum post editiones 5 revisum, iam septimo
recusum**

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Magnifici nobilissimi et amplissimi domini

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](#)

(o)

MAGNIFICI NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI.

Uctuosa equidem & valde tristia inciderunt tempora, de quibus meritò usurpanda Docti Polycarpi sententia: *o Domine, in qua nos reservasti tempora! tempora certe terribilia, calamitosa, ob Satanam furentem, mundum frementem, charitatem refrigescensem.* Euseb. Ephraim devorat Manassem, hic illum. Bella, cædes, vastationes undique omnia depopulantur. Gladius datus in manus occisoris; Nec parcitur agricolis, non fossoribus, non Dominis & possessoribus. 2. Tim. 3. vers. 1. Dan. 12. vers. 1. Apocal. 12. vers. 12. Psal. 2. vers. 1. Matth. 24. v. 12. Esa. 9. v. 20. Ezech. 21. v. 11. Ulpian. in 1. Demosthenis. Vincti vasta terrarum spatia collunt. Seneca lib. 7. c. 10. de benefic. His olim parcitum, si Isidoro claro credimus. c. 50. v. 16. in Jerem. idque confirmant illa Procopii verba lib. 3. de bello Gothicō.

*Erga agricultores, agrestesq; homines tanta
hic*

DEDICATIO.

bic indulgentia ac prudentia uebatur, ut Belisario
ductante exercitum, nullam hi vim patarentur: Sed
ex insperato potius, opulenti & divites reddebantur,
ut qui crebro, adventanibus copiis, majori omnia in
victum pretio, venditarent. Segetes insuper, dum
in agris matureserent, diligentius tuebatur, ne for-
tè equorum greges has devorarent, arborumq; ma-
turos fructus, frugesq; ceteras, invitis Dominis suis
attingere prohibebat.

Hæc ille. An verò illa fundi calamitas
sola querelarum materies erit? Majores cer-
to querimonias facimus, de fundi nostri Eccle-
siastica calamitate: Etenim ob vitam Christia-
no grege indignam, male audit Sacratissimum
DEI nostri nomen, Roman. 2. propter nos
malè audit luculentissima Evangelii cœlestis
concio, ut jure quodam habeat gens adversa,
quod nobis dolentius deplorandum esse videa-
tur! cum nonnulli affectibus quorundam sup-
parasitando, eosdem suis pessum dent blandi-
mentis. Inde illa malorum seges, quibus ex-
citum Numen, tristes ad iras vasto calamita-
tum oceano velut adobruit agros, urbes, oppi-
da, ut non scitè minùs quàm verè dixerit aurei
sermonis Magister, quem Petrum Chrysolo-
gum appellamus, Sermon. I 64.

Christus ad sata genium divini cultus conver-
rit industriam, ac diu oppressa dumis nationum cu-
piens

DEDICATIO.

piens novalia purgare , ignem mittit primum maximus Magister in terram , & quidquid naturalis squalefecerat LVXVS , quicquid arescerat brumalis rigor , artifici depurgat & consumit incendio . Ista Chrysologus . Et miremur , pœnarum , quæ nos premunt ,

quò tanta lues eruperit ortu ?

Verum hæc est deformis illa seculi nostri facies : Hinc illa tempestas suppliciorum , quæ nos attræ involvit caligini , ut nuspian luceat Pharos , quæ portum tranquillitatis ostendat , nisi in seria pœnitentiâ & conversione ad eum , cuius verbera sentimus . Ut scitè scripserit Carthaginensis Præfus . lib . 4 . Epist . 4 .

Intelligendum est & confitendum , pressura istius tam turbidam vaſitatem , quæ gregem nostrum maxima ex parte popula ta est adhuc & usq; populatur secundum peccata nostra venisse , dum viam Domini non tenemus , nec data nobis ad salutem , cœlestia mandata servamus . Et suo olim seculo quiratus est Jeremias . cap . 2 . 19 .

Corripet Te malitia tua , & aversio tua increpabitte . Inter hæc verò mala , quibus flagellatur in Medio portæ linea insipientis gens sapientiæ .

Quodnam est mentium D E O sacramum munus , quò eas fungier fas est , magnis par-

PRÆFATI.

parvis miseriis profultas , ut est apud Comi-
cum,nempe,gemere ob mala : Orare pro pace,
Pseud. 3. v.5. Timere DEUM & REGEM co-
lere , æquo animo ferre clades & calamitates
seculi,Ezech.9.v.4.Jerem.29.v.7. quibus justo
DEI judicio involvimus , ac priscorum Mar-
tyrum instar cœlestis militiae signa movere,
nostris ,quas dedit Dominus, virtutibus,spiri-
tuale certamen imbuere , nec desperare salu-
tem Domini , 1.Petr.2. v.17. qui prædixit, fo-
re, ut in mundo anxietatem simus habituri,
Joh.16.v.33.

Neque non omnem studiorum nostrorum
conatum,in Ecclesiæ Christianæ commoda &
salutem parare atque meditari, inter dura licet
mundi Halcyonia & decumanos calamitatum
fluctus,luctusque ; Nec ulla me habeat dubie-
tas, huic sententiæ fiduciam facturum esse pro-
num cordatorum quorumvis favorem. Infestis
concurrat mundus armis.

Quatriat licet

Orbem tumultus,terraque sedibus
Convulsa,montium ruinis

Arctet aquas pelagi frementis: Buchnan.
in Psal. 46. Attamen cœtus Domini Deo suo
vacat , sacerdos docet , Jeremias consolatur,
bono animo jubet esse ; quos fontica affixit
calamitas ; & bonus quisque spei anchoram
in celo figit, præsidio Domini nixus, Hebr. 6.
Suum satagens laborum , ad quos divina

DEDICATIO.

iplum vocavit clementia, ut benè , juxtimque
sancte scripserit electum illud Domini JESU
organum vel inter compedes, Ephes. 4. vers. 15.
è Christo totum corpus (Ecclesia) congruenter co-
agmentatum & compactum , per omnes suppedita-
tas commissuras , ex vi intus agente , pro mensura
uniuersusque membra , incrementum capit corpori
conveniens , ad sui ipsius extirctionem , per charita-
tem.

Hæc divinus Apostolus. Cunctis hæc scri-
psit Christianis. Quare omni studio atque
intentione in id nobis omnino incumben-
dum est , ut Domini Ecclesiam , modis , queis
fieri potest , omnibus , juvemus , cœlestem fa-
pientiam amplificemus , docendo , orando ,
commentando , scribendo , pro mensura u-
niuersusque membra , ad exornandos cœle-
stis Sionis muros , pro vocationis modulo &
commisso talento. Evidem assentior , nul-
lum penè faciendil libros modum esse , ut præ-
clare scripsit Regius Ecclesiastes , Eccles. 12.
v. 12. Neque verò id ita accipiendum esse ar-
bitror , ac si divinus Rhetor omnibus omnino
libris obeliscum inscripisse , putandus sit. Et
enim & noxii & damnosí aliquando , & super-
vacanei libri in lucem prodeunt , luce non di-
gni , sed flammis , ut Protagoræ Laërt. lib. 9.
Joseph. lib. 2. contra Appion. Archiloch. Val.
Max. lib. 6. cap. 3. Titi Labieni (C. Rhodig.
lib.

DEDICATIO.

lib. 11. cap. 13. A. L.) & aliorum, qui merito
Spongiæ incumbunt, de Juris civilis sententia
C. de hæreticis. Sunt & libri utiles, non ingra-
tietiam doctis, doctioribus doctissimis. Certè
Hieronymus scribit alicubi. *Vtinam omnium*
Tractatorum haberem volumina, ut tarditatem in-
genii eruditionis diligentia compensarem. Multa
in manus recipio, ut à multis multa cognoscam,
Nam ut Sapiens dicit: *Vir in multis expertus, cogi-*
tabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intelle-
ctum. Neque verò lector quisquam existimet,
hæc de meo labore arrogantius dicta esse,
qui vel in ultimis consistere malui inter hos,
quialiquid scribunt in rem literariam. Testis
mihi sanè est conscientia, aliena à famæ aucu-
pio, quam blattæ & tineæ facile oblitterant,
temporum decursu. Auctorante verò summo
Viro & Theologo profundissimo D. D. Ni-
colao Hunnio, D. Affine & Præceptore meo
honorando, rūn cō dīgōis, impellente, persuaden-
te, ante XXXI. annos, adhuc juvenis, ad hoc
aratum, scribendi Allegorias, manum admo-
vi: adprobavitque hic conatus meos, publico
Testimonio, huic Editioni quoque, ut & præ-
cedaneis, suffixo.

Distraictis verò, quatuor Editionum
Exemplaribus omnibus, quintam curavit
Johannes Augustus Becker, Bibliopola Lu-

(5) decen-

PRÆFATI.

becensis industrius , sextam publicari sibi li-
ceret, petiit: anni voto boni viri, & desideriis
bonorum assurgendum esse novam Editionem
desiderantium, arbitratus sum.

Illum juvenilis ingenii fœtum Vobis,
Magnifici Domini, consecratum eo, ut prior-
rum Editionum patronis, vitâ sua defunctis
omnibus, *novos fortiatur Patronos & Mecæna-*
tes, vestrisque radiis coruscet in orbe literatio-
Quæ juvenis scripsit, ea jam senex ostert, ad
observantiaz, quæ V. V. N. N. Amplitudinibus
debet, aram, & memoriæ templum. Gestit
in vestro sole ambulare libellus iste, quos
DEUS vocat DEOS, in illustri Justitiæ spe-
cula constitutos: Multitudo causarum (Plu-
tarch. alicubi) velut fluminum magnorum
confertim in vestrum incidit forum, preces
*pauperum, singultus viduarum, curæ orpha-
norum, querimoniae oppressorum Vos justi-
tiaz præsidæ, recti vindicees, veritatis arbitrii,*
prudentiaz Magistri, æquitatis columnæ,
*Quas in N. N. A. A. Vestris, dum veneror pu-
blice virtutes, hoc inscriptionis cultu, ad po-
steritatis memoriam perennaturas: efficite*
*quælo, pro eâ, quæ solium vestrum cingit, hu-
manitate & faventia, ut levidensi muneri um-
bram præstetis, utque sexto recusus liber,*
lucem fortunatus aspiciatque immortalem.

Ita

DEDICATIO.

Ita bene, longum Mag. V. A. A. reducta pacis aurea
gloriare dimitas, longo PATRIAE bono servet ille
Iudicum Index, benedictus in secula.

Dubam Gedani Idib.

Febr. 1657.

Magnif. N. Amplit. V.V.
cultur

Joh. Botsaccus, D.

LE-